



[p. 395.]

## CAPVT XVIII.

DE

OBLIGATIONE FEV-  
DALI INTER DOMINVM ET  
VASALLVM.

## DISTINCTIO I.

*Inter ius domini in feudo, eiusque obligatione erga vasallum, et ius vasalli in feudo, eiusque obligatione erga dominum.*

*Praemissa ru-  
bri explica-  
tione,*

[p. 396.]

Sicut alia pacta, ita et contractus feuda-  
lis, duas requirit personas contrahentes, do-  
minum scilicet directum et vasallum. Vterque  
vi huius contractus suis gaudet iuribus, in feu-  
do ipsi competentibus. Inter vtrumque quo-  
que mutua erga se inuicem nascitur obligatio.  
Hinc est, quod coniugium vasallum inter et  
dominum LL. agnoscant, <sup>1)</sup> et fidem recipro-  
cam esse debere praecipiant. <sup>2)</sup> Idem innuunt  
brocardica: *Dominus et vasallus iudicantur ad  
paria; getreuer Herr getreuer Knecht, hold Herr  
hold Knecht.* <sup>3)</sup> Neque tamen iura, neque ob-  
ligatio mutua, vasallum et dominum coniun-  
gens, vnā eandemque habent naturam, sed  
plane diuersam; probe propterea ab inuicem  
sepa-

1) II. Feud. 58. pr. MOEL.

2) II. Feud. 6. in fin. et II. Feud. 52. §. 3. Conferatur  
quoque Ge. HINTZE in diss. de coniugio feudali-  
tio. MOEL.

3) Jo. Nic. HERTIVS de paroemiis iuris, lib. II. par. 24.  
MOEL.